

.xcii. SERMO SANCTI AGUSTINI AD PREDICANDUM COTIDIANIS DIEBUS .

[.i.] Oportet nos fratres karissimi ut tota mentis intentione inquirere et intelligere studeamus . quare christiani sumus ; et quare signum crucis christi in fronte portamus . Agnoscite ergo fratres et intelligite ; quia non ideo facti sumus christiani ; ut de ista tantummodo uita solliciti simus . Sic enim dicit apostolus ; si in hac uita tantum sperantes sumus . miserabiliores sumus omnibus hominibus . Qui enim non cogitat nisi de ista tantummodo uita . animalibus et pecoribus similis est . Quid enim aliud querunt animalia . nisi manducare et bibere . et luxuriari atque dormire .

[.ii.] Tales quidem sunt qui plus cogitant de carne sua . quam pro anima sua . Et qui plus diligunt gulam ac luxuriam . quam castitatem et iustitiam . Scire ergo et intelligere debemus fratres karissimi ; quod ideo christiani facti sumus . ut semper de futuro seculo et de aeterna beatitudine cogitemus quia caro nostra paucis annis erit in mundo ; Anima autem nostra si bene agimus sine fine regnabit in caelo . Si uero quod deus non patiatur mala opera exerceamus . et plus pro carnis luxuria quam pro salute animae laboremus . timeo ne quando boni christiani cum angelis accipient uitam aeternam . Nos quod absit precipitemur in gehenne ignem . [.iii.] Non ergo nobis sufficit fratres quid christianum nomen accipimus . si opera christiana non facimus . Illi enim prodest . quid christianus dicitur . qui castitatem diligit . ebrietas fugit . superbia detestatur . Inuidiam . odium . atque malitiam uelut uenenum diaboli . de corde suo respuit . Ille enim uere /172r/ christianus . est ; qui furtum non facit ; et qui falsum testimonium non dicit ; qui nec mentitur . net periurat . et qui adulterium non committit . qui ad ecclesiam frequentius uenit . et de fructibus suis numquam gustat . nisi prius ex ipsis deo aliquid offerat ; et qui decimas annis

singulis uoluntarię reddit ; dicente domino per prophetam . Inferte  
omnem decimam in orreis meis . ut sit cybus in domo mea . Et  
iterum dicit . Primitias areae tuae et torcularis tui . non tardabere  
offerre mihi . si tardabis dare peccatum est ; quantum peius est  
non dedisse . Et iterum dicit . Honora dominum deum tuum de tuis iustis  
laboribus . et deliba ei de fructibus iustitię tuae ; ut repleantur  
horrea tua frumento . et uino torcularia tua impleantur .  
Ille ergo christianissimus est . qui de omnibus fructibus terrae .  
et de omni militia ; et de negotio . et de omni artificio suo red-  
dit decimas deo . et sacerdotibus suis honorem impendit . et  
omnes homines sicut semetipsum diligit . et in nullo homine  
odium tenet . Ille uero non solum christianus . est . sed ipse christus in illo  
semper habitat ; qui stateras dolosas et mensuras duplices . uelut  
gladium diaboli pertimescit . Ille itaque bonus christianus est ; qui quando  
ad aecclesiam uenerit ; et oblationes quę in altari pro se suisque  
omnibus mittantur exhibit . et elemosinas pauperibus secundum uires  
porrigit qui peregrinum in domum suam excipit . et qui hos-  
pitibus pedes lauat . qui non solum lites non citat . sed etiam discor-  
des ad concordiam reuocat . Qui et ipse caste uiuit ; et filios atque  
uicinos docet ut caste et sobriae uiuant . et omnes uerbis am-  
monet et exemplis docet . Ille bonus christianus est . qui assidue  
sanctis solemnitatibus conuenit . et ut securus communicet ante  
plures dies . castitatem etiam cum propria uxore custodit .

/172v/ ut cum secura conscientia et libera ad altare domini casto corpore .  
et mundo corde audeat accedere . Qui symbolum et orationem  
dominicam memoriter tenet . in super filios et filias et totam familiam  
ut ipsi haec teneant docet . Et in diebus dominicis ad audiendam  
sancte trinitatis missam in aecclesia dei ad primam . ut frequenter  
conueniant erudit . Ecce audistis fratres karissimi quales sunt christia-  
ni boni ; Et ideo quantum possumus cum dei adiutorio laboremus .  
ut eos bene ac uoluntarie possimus imitari . et ut nomen christia-

num non sit falsum in nobis . nec christi sacramenta in nobis pati-  
antur iniuria . sed semper opera christiana et cogitemus in corde et  
impleamus in opere . Name ille christianus qualis est . qui uix  
aliquando ad aeccliam uenerit . et quando uenerit non stat  
in aeclesia ut oret pro peccatis suis . sed ut causas dicat . et ut  
lites aut rixas concitet . et si locum edendi aut bibendi in-  
uenerit . usque ad uomitum postea bibet . et cum se inebriauerit  
surget uelut freneticus uel insanus bellare diabolico more  
et saltare atque uerba turpia et amatoria uel luxuriosa can-  
tare . Iste talis postea non dubitat furtum facere . falsum testi-  
monium dicere et perjurare atque adulteria committere . Hi ni-  
mirum siue uiri siue mulieres qui talia agunt . non ad remedium  
sed ad contemptum nomen christianum et baptismi sacramenta susci-  
piunt . et nisi ueram poenitentiam egerint in aeternum peribunt .  
Ecce fratres karissimi . ostendimus uobis quales sunt christiani boni . Et ideo  
quoscumque malos . esse . conspicitis . castigare semper cum increpatio-  
ne atque corripere . ut de profectu uestro et illorum correctione . duplarem  
mercedem habere possitis . Qui ergo boni sunt . casti . sobrii . mo-  
desti . humiles . et benigni . deo auxiliante perseuerent in operibus  
/173r/ bonis . Qui autem mala opera faciunt cito se corrigan . atque consci-  
entiam suam emundent . antequam illorum animae de hac luce di-  
scendant . Quia qui sine confessione . et uera poenitentia . atque elemo-  
synarum largitione mortui fuerint . non uenient ad caelestem  
uitam . sed precipitantur ad poenam aeternam . De qua poena nos .  
pius dominus eripere . et ad caelestia regna secum perducere dignetur ;  
Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . in secula seculorum . amen .